

VENERABILIBVS FRATRIBVS

PATRIARCHIS,

ARCHIEPISCOPIS,

EPISCOPIS,

Clero, Religiosis Viris, & omnibus
Christi Fidelibus Ecclesiae
Catholicae.

ALBERTUS

LIB. VII

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCA

ARCHIEPISCOPO

EPISCOPO

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro

ALEXANDER

P A P A VII.



Enerabiles Fratres , Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. E summo Apostolatus fastigio Orbem vniuersum , nostras videlicet curas, sollicitè circumspicientibus Nobis, misera sanè , luctuque plena se offert Christianæ Reipublicæ facies. Sortem enim Domini, atque ipsius hæreditatem , veris eiectis filijs , alieni sibi diripiunt. Gentes , quas pro Pontificia charitate , in nostrum, hoc est in veræ fidei sinum traducere, arctissimèque complecti voluissemus, hunc ipsum sinum dilaniare conantur, & ruptis maris, atque ultimis terrarum claustris in Christi gregem effunduntur. Malè denique concordēs Catholici Principes in se ipsos feruntur, & (quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris , atque ijs , qui insurgunt aduersus Nos) se inuicem depascuntur , & proprio sanguine,

ne , quasi musto inebriantur. Hæc eadem
iam pridem cum tacitè nobiscum doleremus,
visum est ei, qui facit magna, & incompre-
hensibilia, quorum non est numerus, inuitos,
trepidantesque vocare Nos ad Ecclesiæ gu-
bernacula, atque inclinare in Nos onus im-
mensum, humerisque quamuis firmissimis
formidandū. Testes autem mœroris nostri
sunt publicæ supplicationes, quas vbi primū
Summo Pontificatui admoti sumus, vniuer-
sis indiximus; testes literæ, quas ad charissi-
mos filios, non solum Ferdinandum Hunga-
riæ, & Boemiæ Regem illustrem, ac in Ro-
manorum Imperatorem electum, verum
etiam ad vtrumque Regem dedimus, & quas
iterum cum importunissimū Aduersarium
per inclytæ Reipublicæ damna toti Europæ
funera, ac vastitatem inferre meditantem
videremus, magno cum animi dolore scripsi-
mus, vt eos à mutuis discordijs in nefa-
rium hostem conuerteremus, & quas nunc
mittimus, eos admonentes, vt dum hye-
mis interuentu tantisper bellorum impe-
tus resederit, ad pacem constituendam
omni conatu, atque opera incumbant; testes
hæc omnia, vnam dies, noctesque obuerfari

animo

animo sollicitudinem, quoniam ad tanta, ac
tàm acerba mala sedanda, nulla nisi in com-
muni concordia reliqua spes est, hanc omniũ
cordibus, ac voluntatibus inferendi. Verũm
quia non hoc humanæ vires, aut terrena
consilia moliri possunt, sed illius donum esse
debet, super quem est disciplina pacis nostrę,
qui aufert spiritum Principũ, atque incre-
pat mare, & obmutescit; quantum in vobis
est Venerabiles Fratres, ac Dilecti filij, non
modò opera, studio, consilio, officijs, aucto-
ritate vestra contendite, verũm etiam in
oratione, in lacrimis, in ieiunijs, atque elee-
mosinis scindite corda vestra, arripite thuri-
bulum, hoc est preces Sanctorum, & medijs
inter ignem, & arsurum populum consistite.
Vos, qui statuti estis custodes super muros
Hierusalẽ, noctu, atque interdiu clamate,
atque estote cœlestis iræ, ac Diuinæ ultio-
nis placamina. Exinanite calicem furoris, &
ruinæ, calicem, quo potati sumus, doloris, &
tribulationis meracissimæ. Nobis quippè,
quibus non prius tutò creditas oves suas pu-
tauit Christus, nisi postquam iterum, ac ter-
tiò de amoris magnitudine admoniti fuimus
in Petro, quibus solis Sanctuarium ingredi,
& ante

& ante altare populorum preces Deo representare concessum est, sedulo elaborandum ne irascatur Dominus, & dicat; quæsiui virum, qui interponeret Maceriam, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni, & effudi super eos indignationem. Hoc enim habet Diuina vltio, vt tum maximè Altissimus sit exorabilis, & ad lenitatem, clementiamque, hoc est ad ingenium suum redeat, cum in bracchio forti, & manu valida gladium exertat, vt feriat. Sint pedes vestri pedes euangelizantium pacem, vt conterantur arcus, & sagittæ, atque imperet Deus ventis, & faciat tranquillitatem; quam per vos præsertim assequi vehementè optamus, vobisque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xx. Septembris M. DC. LV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Natalis Rondininus.]

R O M Æ

Ex Typographia Reu. Camera Apostol.
M.DC.LV.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Ex Typographia R. C. G. in
M.D.C.L.V.

Large block of very faint, illegible text in the middle of the page, likely bleed-through.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.